

*de Prævisione Pœnitent. Tyr. & Sidon.*

49

missurus sit. Contra verò manet Davidi sua libertas, si secundum sensum nostrum Orthodoxum statuatur, DEUM non solum in genere decrevisse concursum suum ad electionem cujuscunque generis, inter tria ista mala, sed & in specie ad electionem pestis, prævisâ & præscitâ ab æterno liberâ voluntatis Davidis ad hanc partem determinatione. *Alterum* habetur in nostro textu: *Chorazita & Bethsaidita* respuerunt extremè Evangelium à Christo miraculis confirmatum, respuitio illa mediorum tam ubertim oblatorum ab æterno à DEO erat præscita, decrevit DEUS, se permissurum esse hanc respuitionem & contemptum in tempore olim exiturum, idque ab æterno, si igitur contemptus ille ante suam existentiam actualem, cum adhuc futurus erat, pro causâ habuit decretum divinum, annon causa contemptus prima & proxima constituitur ipsum decretum divinum? annon potuissent Galilæi illi excipere, contemptus noster, quem elicimus pronunc, repudiando & non admittendo media salutis, ab æterno fuit decretus, ita ut unica & solitaria ratio, quod fuerit futurus, resideat in decreto divino, non ergò culpandi sumus in hoc, cum non nostrâ culpâ in actum prorumpat, & actualiter jam existat, quod vi solius decreti divini futurum erat. Item si causa futuræ pœnitentiæ Tyrionum & Sidoniorum fuisset *Decretum prædeterminans*, annon jure optimo potuissent reponere Chorazitæ, se non esse in culpa, quod non egerint pœnitentiam, visis licet virtutibus Christi, quia non nisi ob defectum & absentiam decreti divini pœnitentia eorum non fuerit futura. Contra verò si statuatur, cum ipsâ prævisione impœnitentiæ olim propriâ & liberâ Galilæorum voluntate exercendæ concurrisse Decretum de permettendo, culpa impœnitentiæ unicè redundat in Galilæos. Ita si dicatur, DEUM conditionato decreto producturum fuisse pœnitentiam in Tyriis & Sidoniis, si virtutes Christi vidissent, præscito hoc, quod, non quidem vi naturalium facultatum, sed *virtute gratiæ divinæ*, media adhibita non contempturi sed admissuri fuissent, iterum omnis culpa hæret in Galilæis, quos prævidit DEUS media admota, gratiamque divinam ipso actu rejecturos esse.

G

VI. Inepta